

IOANNES DE BECKA TRAIECTENSIS.



Ioannes de Becka in scripturis sanctis admodum studiosus & doctus, atque Philosophiae Aristotelicæ non ignarus fuit. Is in ecclesia Traiectensi clericus fuit, breui tempore sua eruditione & pietate omnibus innotuit. Edidit is ingenij sui non contemnenda opuscula. & inter ea egregium librum ad Ioannem episcopum Traiectensem & Vuilhelnum ducem Hollandiæ, de gestis episcoporum Traiectensium & Comitum Hollandinorū. Eum à tempore S. Vuillebordi primi eius loci episcopi ad annum Domini millesimum trecentesimum & quadragesimum sextum deduxit, atque Chronica Traiectensis ecclesiæ inscripsit. Claruit potissimum temporibus Ludouici & Caroli quarti Imperatorum. Tristis in script. Eccles.